

P. Sancius *num. 7.* Nam ius commune & Partitarum admittit uxorem post consanguineos usque ad decimum gradum: unde vxor non habet ius ad successione ab intestato ante consanguineos usque ad decimum gradum. Sed dicta lex. 9. ante dictos consanguineos post quartum gradum admittit fiscum, excludens alios consanguineos: ergo à fortiori excludit videtur vxor: nam si fiscus vincit sex gradus consanguineorum vincens uxorem, à fortiori vincet uxorem. Et ita tenent Tellius & Olanus, ab eodem adducti, & quidam docti Iurisperiti, vt & ipse testatur; addens ab eisdem accepisse sic sæpe decisum esse in Cancellariâ Vallisoletanâ. Quod quidem negari nequit quin magnum habere potest pro hac parte videatur. Auctorum autem, qui pro contrariâ adducuntur, alia est mens: dicunt enim quando in legibus Compilationis nouæ statuitur deficientibus heredibus ab intestato fiscum succedere, nullâ vxoris factâ mentione, non debere illam excludi, ne legum correctio fiat. At illi de heredum defectu loquuntur vltra decimum gradum, unde non est mirum ita censuisse. At si successio ad quartum gradum ardetur, alia est ratio, adducta scilicet: nam si sex excluduntur cognati, post quos vxor vocabatur, non est credibile illam eisdem à lege prælatam; quod, cum adeo nouum, & contra sanguinis prærogatiuam sit, exprimi debuit: & cum expressum non sit, iuxta legislatoris mentem non fuisse veni sentiendum. Nihilominus oppositum suâ probabilitate non caret: & quia viduarum causa probabilitate non caret: & quia viduarum causa pia est, neque iam cum consanguineis quaestio vertitur, qui ex eo quod excludatur vxor, nihil sunt amplius habituri: poterunt iudices in casibus contingentia iuxta illam iudicare; nisi aliter ferat praxis. Et ad rationem adductam dici potest, priuilegium esse vxoris vt deficientibus cognatis ad successione admittatur: quod autem plures aut pauciores sint, non obstat vt à tali beneficio legum excludantur, cum earumdem correctione. Pro quo hæc satis.

S. I V.

Prescriptio vt inuare in presenti possit.

109 **D**ico quinto. Circa bona omnia, de quibus dictum, dari potest præscriptio, aut viucapio: si videlicet bonâ fide spatio temporis per leges designato possideantur. Sic P. Lessius *suprà num. 45.* qui pro se adducit Couarruiam: qui tamen oppositum tenet s. citato *De legibus*: quia ad usurpationem requiritur bona fides, quæ tamen in præsentem non datur; dum scilicet quis rem inuentam sibi usurpat, cum sciat non esse suam. Propter quam rationem etiam id tenet D. Gaspar de Escalona. *Cap. 5. citato num. 10.* Sed eorum est profectò debile fundamentum: potest namque bona fides intercedere toto spatio temporis ad præscriptionem requisitò: si quis videlicet rem inueniens, & diligentiam aliqualem faciens, quæ sibi videatur sufficiens pro domino inueniendo, sine remorsu incipiat conscientia possidere. Vel si inueniat, & statim ad se pertinere existimet: alia enim, quæ

Quid circa illud firmius sit. Ratio contra vxores soluta.

Ratio contra vxores soluta.

Assertio 5. Circa bona omnia dicitur posse dari præscriptionem.

Quomodo esse bona fides possit.

maiolem malitiam præferunt, solent homines ignorare. Vt ille, qui pullum gallinaceum in eius domunculam ingredientem apprehendit lætus, dicens: *Ese Dios dale.* Sic Neophyti loquuntur Æthiopes: *Deus dat mihi istum.* Videndus Diana *Parte 11. Tract. 8. Resolut. 12.* vbi cum aliis Assertionem nostram vt probabilem commendat.

100 **Q**uia verò hic contra Fiscum est præscriptio, iuxta ea discurrendum, quæ Scriptores de spatio ad huiusmodi possidendi modum necessario tradunt. Pro quo videri potest P. Molina *Disput. 73.* & P. Gaspar Hurtadus *Disput. 2. Difficult. 11.* vt obuios alios omittam de Iustitiâ & Iure tractantes. Illud satis fauorabile, ad præscriptionem, si ad sit titulus, in rebus mobilibus triennium sufficere inter præsentem. Dicuntur autem præsentem, qui in eadem Prouincia commorantur. *L. vlt. C. de longinquitate præscripti.* vide P. Molinam *Disputar. 69.* Quæ autem inueniuntur, mobilia esse solent, & inter præsentem modo dicto. Sed numquid inuentio ipsa titulus est? Videtur negandum; quia titulus est verum fundamentum dominiij, vt emptio, permutatio, donatio &c. quæ quantum est ex se ad id sufficiunt, nisi ex circumstantiâ aliqua impediantur; vt quando quod emitur, permutatur, aut donatur, est alienum. Atqui inuentio quantum est ex se ad fundandum dominium non sufficit; aliàs eo ipso quòd res inuenirentur, essent inuenientis: quod tamen salum esse constat; si minus neque præscriptio opus esset, quæ sparium temporis designatum lege requirit: licet emens aut permutans, vel aliquid per donationem accipiens, sparium temporis necessarium non habet ad dominium acquirendum; & ita quidem dicendum de inuentione, quam nulla est diligentia subspecta, vt ratio facta conuincit: non verò si adhibita est, tunc enim verus est titulus; & ita triennij tempus ad præscriptionem sufficit.

101 **S**ed obicies. Nam ignorantia, ex qua bona oritur fides, non est facti, sed iuris, dum quis iudicat licere sibi rem assumere, quia nullâ id lege prohibetur; cum tamen lex prohibens sit, iuxta communionem sententiam, de qua *suprà*, alserentem inuentorem factâ diligentia non acquirere dominium rei inuentæ. Atqui ignorantia iuris non est facti ad præscriptionem, sed sola ignorantia facti pro illa admittitur, vt ex profecto probat P. Molina *Disput. 64.* pro quo & alij Auctores stant apud P. Gasparem Hurtadum *Disput. 2. Difficult. 4.* quos & ille sequitur. Ex hoc autem videtur elidi resolutio nostra: solum enim fundatur ex ignorantia iuris, de qua est regula iuris in 6. quæ ait ignorantiam facti, non iuris excusare.

102 **A**d hoc tamen dici potest, Primò sententiam oppositam esse probabilem, vt affirmat Cardinali Lugo *Disput. 7. num. 32.* quam tenet Ioannes de Medina *Codice de Restitutione Quest. 17.* & pro foro animæ Couarruias *Lib. 1. variarum Cap. 3. num. 10.* & non esse improbabilem affirmat P. Lessius *Lib. 2. Cap. 6. num. 17. §. Quarto. Mala, & hoc sufficere vt possit quis se illâ tueri.* Secundò in præscriptione triginta annorum, quæ titulum non requirit, esse probabilissimam, vt ostendit ipse P. Lessius *toto illo num. 17.* cum Couarruias, & aliis. Tertio, Plures Doctores facti

Quod tempus ad præscriptionem dictam necessarium.

Inuentio nem non esse titulum, generatim loquendo, sed cum ad id explicat.

Obiectio ex eo quod ignorantia facti, & non iuris, ad præscriptionem sufficit.

Fit illi scilicet varijs modis, iuxta verosimiles dominios.

teri ignorantiam iuris non obstat præscriptio, qua titulum requirit, in iis in quibus talis error toleratur, vt ita minore, rustico, milite, muliere, & similibus; quia in illis non præsumitur mala fides, si aliquam diligentiam adhibuerunt. Cum ergo qui ignorant, in casu, de quo loquimur, id quod iure statutum est, ad classem proditam spectent, etiam illis præscripti suffragatur. Videatur P. Lessius s. citato, & Cardinalis Lugo. Pro quo & facit sententia eorum, quibus sentit P. Palasus de *Iustitiâ & Iure pag. 74. §. 5.* alserentium non esse necessarium verum titulum, sed ignorantiam, aut præsumptum sufficere. Iuxta hoc ergo, tranfacto tempore ad præscriptionem sufficienti, etiam si comparet rei inuentæ prior dominus, non erit obligatio restituendi, quam communiter affirmant Doctores hoc titulo non extante. Quæ licet generaliter locum habeant, & non tantum in Indiis; quia tamen pro illis leges speciales habentur, abs re non fuerit de illis, communi adhibita doctrinâ, quæ prodesse alibi queat; diseruisse. Sic enim de Indiis agimus, vt prodesse omnibus cupiamus.

CAPVT XIII.

De Naufragantium bonis, & quæ Rex inde possit sibi emolumenta vendicare.

Licet speciales leges quoad hoc pro Indiis non extent; quia tamen Regis auctoritate solent Indica hæc spolia conquiri, & acquisitionis titulus videtur esse aliquando legitimus, ideo de illis hoc loco non nihil ad doctrinæ complementum adiciendum.

103 **D**ico Primò. Naufragantium bona sibi Principem per legem adscribere, est iniquum. Sic Couarruias in *Regula Peccatum. Parte 3. num. 5.* P. Lessius *Lib. 2. Cap. 14. num. 50.* vbi ait intolerabilem esse consuetudinem, quæ in quibusdam locis dicitur esse, vt bona naufragantium in litus eiecta habeantur tamquam adspora, & occupentur à Gubernatore loci: sunt enim excommunicati per Bullam Censuræ Domini. Idem autem esse in Principibus supremis manifestum est, vt agnoscit Dom. Solorzanus in *Politica pag. 964.* tenentque præterea Nauarrus in *Manuali Cap. 27. num. 117.* P. Azor *Tomo 2. Lib. 11. Cap. 11. §. Præterea iniqua.* P. Fragosus *Tomo 1. pag. 260. §. Insuper, & alij.* Et præter excommunicationem dictam, constat ex iis, quæ de bonis inuentis diximus *Cap. præced.* non enim ista peioris conditionis sunt, sed melioris, ob inhumanitatem, quæ in eo apparet, dum miseris calamitas adaugetur, quibus oportebat de proprijs bonis ritu Christiano subuenisse.

104 **D**ico secundo. Ea, quæ contra leges conuehantur, vt aurum & argentum sine Regio signaculo, quod in solutione quinti solet apponi, vel sine registro aut aliter, si inueniantur post naufragium, possunt auctoritate Regi per Officialia eius apprehendi. Hoc constat: quia hæc applicata sunt Fisco quomodocumque inueniantur, licet quod ad registrum attinet, solet benignius tractari: est autem valde per ac-

cidens, quòd hoc aut alio successu detegantur. Sicut ergo quis potest ea resumere, quæ propria agnoscat, ita & Regia auctoritas. Et ita videmus fieri, neque circa hoc conscientia remorsu laborari.

105 **D**ico tertio. Princeps tutâ conscientia potest retinere bona naufragio amissa, si factâ sufficienti diligentia non appareat eorum dominus. Sic Dom. Solorzanus *pag. 964. citatâ*, vbi & Textus, & Auctores adducit: licet sint qui reluctentur, existimantes bonorum huiusmodi distributionem post factam diligentiam ad Prælatos Ecclesiasticos pertinere, ad quos sunt deferenda. Sic Salon. 2. 2. *quest. 66. Cap. de bonis naufragantium:* & alij, quos ibidem adducit. Alij autem, licet obligationem deferendi ad Prælatos non expriment, dicunt tamen, non obstantibus legibus, distribuenda pauperibus. Sic P. Azor *suprà. §. Quod dicendum.* Qui tamen *Cap. 4. §. Ac proinde.* Regalia istam agnoscat. P. Fragosus *suprà*, quatenus citato P. Azor, videtur eius sententiam amplecti, sicut & Nauarri, ac Couarruias. Couarruias autem licet ita absolute sentiat; in fine tamen illius *§. 1. ait* ex rectitudine iustitiæ posse leges Regias defendi, & fortasè in iudicio animæ id posse stare, scilicet post factam diligentiam, & obligationem restituendi, si dominus comparebit. Sayrus etiam *Lib. 3. Cap. 8. §. Ad deo autem*, nobiscum sentit: sed ait de consilio Episcopi id effici posse ad defensionem. Ratio autem Assertionis est eadem, quæ pro inuentis adducta est: unde non plus obligat, quam lex circa illa. Et ita post factam diligentiam posse ab inueniente retineri, vt probabile sustinet P. Mendus in *Bullam Cruciatæ Disput. 24. num. 132.* Pontifex ergo excommunicationem contra usurpatores bonorum dictorum fulminans, non ideo bona talia Ecclesiastici fori constituit, vt ad ipsum debeat eorum distributio pertinere: sed inhumanos homines ab huiusmodi crimine conatur auertere animaduersione seuerâ: sicut duelli crimen pariter excommunicatione castigat, nec propterea crimen ipsum duelli à laico retrahit tribunali. Et sic alia, pro quibus Sayrus *Lib. 3. cap. 35. num. 1. & 13.*

106 **D**ico quarto. Circa bona naufragantium, quæ pro derelictis habentur, facilius præmissa Positio procedit, quia in illis occupationem etiam concedunt, qui de alijs negant, vt videri potest apud Sayrum *suprà. §. Hæc autem, & seq.* vbi varias adducit coniecturas, vt res pro derelictis possint reputari. Vt si statim perituræ, ceu faccarum valis inclusum; vel sint remediò amittendæ villo, vt metalla in medio mari proiecta, vel liber apertus: addit autem secus esset, si clausus, aut panis inuolutus, ex Glossa in *L. Falsetus D. de foris.* Sed hoc tunc videtur locum habere posse, quando aliqua est spes ob terræ propinquitatem, aut reddendum inutilem. Item, si dominus rei post illam proiectam, tacet, & neque per se, nec per alium illam quærit. Quod videtur ineptum. Quis enim in mare proicit aliquid, vt quærat per se, aut per alium? Cur autem non taceat, qui nullam habet causam vt loquatur? Nisi dicat rem ab alio proiectam, tacente illo, & non quærente. Sed certè in eo euentu tacere

Assertio 3. Et generaliter, si non comparet dominus post factâ diligentia.

Quod negant aliqui dicentes ad Prælatos Ecclesiasticos eorum distributionem pertinere.

Diripiunt, & bona derelicta ad forum laicale spectant.

Assertio 4. Quæ pro derelictis habentur, occupari posse.

Unde dicitur nosci condicio dicitur queat.

Assertio 1. Principes nequeunt naufragantium bona sibi per legem adscribere.

Excommunicati propter in Bulla Censuræ.

Assertio 2. Non tamen si bona sint ex prohibitis per legem.

tacere & non querere, non est argumentum voluntariae derelictionis, sed impossibilitatis recuperandi rem, neque audentis violenti proiectoris se opponere voluntati. Est insuper derelictionis indicium, quando extra tempestatem aliquid proicitur. Sed quis ita insanat? Verum & id potest contingere, si quis ex affectu aliquo, qui cum absoluta voluntate constet, quidquam projiciat. Et haec iuxta Auctorem dictum, qui ea ex alijs adducit. Licet autem, cum res statim est peritura, aut in maris profundum abitura, nihil videatur ad morale negotium, de quo agimus, conjectura talis deferuire: nihilominus conferre potest propter casum aliquem raro contingentem, in quo aut conseruetur quod statim perituum putabatur, aut ex profundo educatur a pisce aliquo ingentis magnitudinis, qui mortuus euicitur in litus, & in eius ventre tandem inueniatur. Quamquam Couarrubias citato s. De legibus, nihil ita pro derelicto habendum existimat, vt eius dominus non velit illud vtiliter pro eo expendi: quia si ipse illud inueniret, eximie gauderet: qui affectus ostendit, dum possibilis est inuentio, dominium perseuerare. Sed vt hoc in rebus perditio locum habere possit, negari tamen nequit quin aliqua pro derelictis habeantur: quia & Iura, & Doctores ita tradunt, & ipsa experientia peritaded. Pro bonis autem nauigantium extat Honorij Secundi luculenta sententia scribentis Episcopis suffraueis Metropolis Turonensis: & est Epistola 66. inter alias S. Hildeberti, vbi ita scribit: Piorum Imperatorum emanauit auctoritas, vt etiam earum rerum, quae in tempestate maris, leuante nauis causa euiciuntur, non amittatur dominium: non enim eas aliquis eo animo abiicit, quod habere nolit, sed quo periculum effugere possit, & qui res ipsas lucrandi animo abstulerit, furtum committit. Sic ille iuxta L. Rhod. D. de iactu. Lib. 1. s. finali, & alias.

Ad rem morale in quomodo conferre possit praesentia doctrina.

Non esse obligationem expendendi pro utilitate derelictorum.

Pro dominio retento circa nauis fragantiam bona elegans Honorij 2. sententia.

Afferitio s. Tereri Regem nauis naufragium posse succurrere, vbi bona priuatorum, quae ad eorum dominium spectant.

Idem dicendum, est nauis non sit Regis, sed priuatorum.

damnis talibus adhibere remedium, vt communis administrator: cum praesertim in eo suum negotium agat: ex diuitiis enim inuentis magnum ipsi emolumentum obuenerit: nam deductis expensis aliquid est praeterea pro conquisitione & extractione non exiguum recepturus: cui & bona priuatorum profunt, ex quibus commercio expositis iura non contemnenda soluntur. Et quidem cum damnus ab hostibus imminet, teneri Regem suis sumptibus subditorum bona defendere suo in mari nauigantium, communissima scriptorum sententia est, vt videri potest apud P. Fragosum Tomo 1. pag. 39. num. 128. & 129. Est autem ratio eadem de damnis alijs, quibus potest obuiare. Quia vero extraordinarium videtur subsidium, non videtur damnandum si expensae requirantur in nostro casu. Adde & obligationem succurrendi personis miserabilibus, de qua P. Azor. Cap. 7. citato. s. Peccatum Rex. Si item bonorum istorum domini in nauis naufragium passa refedissent, deberet absque dubio Rex eidem succurrere, vt a periculo immunes redderentur. Ergo & bonorum debet curam gerere, quia illius obligatio ad omnia se extendit. Iuxta quae fit bonorum talium dominium apud eosdem conseruari, cum debeant merito de Regis prouidentia auxilium opportunum expectare.

Eiusdem obligatio defendendi suis sumptibus bona subditorum suo in mari nauigantium.

Et miserabilium personarum.

CAPVT XIV.

De emolumentis Regiis ex bonis Ecclesiasticis.

109 **A**git de illis Dom. Solorzanus variis in locis, & quae ad illa pertinent in summam redigit Lib. 6. Politicæ Cap. 7. & D. Gaspar de Escalona in Gazophylacio Lib. 2. Parte 2. Cap. 32. Habet ergo Rex duos Nouenos ex decimarum grossa, de quorum iustificatione egimus Titulo 2. num. 50. & seqq. Vt autem clarior appareat, ex rescripto comprobanda est Philippi Secundi die 17. Iulij Ann. 1512. Peruiano Proregi D. Francisco à Toledo transmissio, in quo sic scribit: Y porque, como sabeis, conforme a las Concesiones de los Sumos Pontifices, y a nuestro Patronazgo, nos pertenecen los diezmos dos Nouenos de los diezmos de los Obispos de esas partes &c. Quod ergo Rex ita testatur, non potest sine illius auctoritatis iniuria in dubium reuocari. Subdit autem Nouenos dictos à Regiis Officialibus exigendos, nolens circa eos à iurisdictione Ecclesiastica dependere; vnde & circa hoc in Regiis Audiens Prouisiones expediuntur, vt economi Ecclesiarum, qui laici esse debent, ad solutionem huiusmodi compellantur. Quomodo autem causa ista, quae spiritualis est, per iudices possit laicos agitari, dictum citato Titulo num. 66. Vbi cum probabiliter in eo procedatur, non est negotium istud prehendendum nimis, ne nimis emungendo, sanguis eliciatur, vtinam Reges ad omnia, quae agunt, probabiles haberent opiniones, eas scilicet, quas Scriptores pij & docti sine blandiendi studio complectuntur. Officiales ergo Regij, de quibus nobis sermo, circa hoc debent esse solliciti ratione muneris, & quidquid eorum incurrit

De iustificatione duorum Nouenorum.

Rescriptum Regium pro illis.

Regiorum Officialium circa illos obsequia.

incuria deperierit, soluendum ex integro. Deperire autem dicendum est; quod ab economo non exigitur ob respectum aliquem, licet pius ipis videatur. Cum enim Rex fundatam intentionem habeat, non illis circa hoc arbitrium relinquatur, sed nudam ministerium demandatur.

Fructus vacantium Ecclesiarum in earum debent utilitatem expendi.

Cap. Quia saepe, & Cap. Praesentis, explicata.

110 Habet praeterea Rex portionem decimalem, quae Praelatis Ecclesiarum responder, cum illae vacant. Et quod ad jus commune attinet, controuersa quaestio est ad quem fructus isti pertineant, de quo multi multa, & praesertim Dom. Solorzanus Tomo 2. lib. 3. cap. 12. num. 19. & seqq. & in Politicâ pag. 596. & seqq. vbi Auctores congerit de eodem differentes; & mihi quidem attenda Iuris Canonici dispositione ita videtur dicendum, vt redditus tales in Ecclesia debeant utilitatem expendi: sic enim accipiendum, quod dicitur in Cap. Quia saepe, de electione in 6. Quae in utilitatem dictarum Ecclesiarum expendi, vel futuris debent successoribus fideliter reseruari. Et Cap. Praesentis, de officio Ordinarij. Ibidem: Quae vel in utilitatem Ecclesiae, vel futuris debent successoribus fideliter reseruari. Ex hoc enim habetur posse in utilitatem Ecclesiarum expendi: ergo si nihil reseruetur successoribus, nulla illis irrogatur iniuria. Vnde planum habetur nullum successoribus jus ad redditus istos conuenire. Cum ergo decernitur posse illos successoribus reseruari, mens Pontificum est, id faciendum, vt ipsi, quod non est à reseruantibus factum, studeant adimplere. Cur enim illis detur id, ad quod non habent jus, & in utilitatem potuit Ecclesiae conferri, vt liberè possint distribuere, & in proprias conuerrere subuentiones? Vnde nec congruit sententia eorum, qui dicunt diuidenda illa bona inter Ecclesiam & Praelatum aequis partibus; iuxta Iura siquidem non loquuntur, licet rationabili alijs loquantur arbitrio.

Quomodo fiet successoribus integre reseruandos.

Cap. Quia saepe.

Ex Regis dispositione firmatum.

111 Erit autem illud magis Iuri conforme, si quis dicat redditus istos posse successoribus reseruari, non tantum pro medietate, sed etiam ex integro, vt pro arbitrio distribuant, dummodo id sit in causas pias intra dioecesim: quod enim sic expenditur, dici potest aliquo modo in Ecclesiae utilitatem expendi, cuius membra viua sunt fideles. Vel si genus aliud pij operis sit, quod non ad subueniendum indigentibus, sed ad Dei cultum spectet, vbi cumque illud, dummodo intra dioecesim, vt dixi, satis apparet ad utilitatem Ecclesiae pertinere. Quod quidem iuxta mentem sacri Legislatoris esse, ex ipsis apparet verbis, citato in Cap. Quia saepe: sic enim ibi: Nos ipsorum ausus reprimere, & indemnitate ipsius Ecclesiarum praecauere volentes, &c. Vbi non Praelatorum indemnitate, sed Ecclesiarum tantum attenditur: cum tamen praemissum esset bona in Ecclesiarum utilitatem expendenda, aut successoribus reseruanda: ergo quia successores in Ecclesiarum debent utilitatem expendere. Vnde cum grauisimi & sapientissimi viri censuerint non posse Regem nostrum redditus vacantium in Indijs vt proprios vendicare, sed in eorum applicatione debere Iuris Canonici dispositionem amplecti, alijs oppositum opinantibus, de quo inserimus: eorumque fuerit praesentia sententia, & iuxta eam tertia pars vacanti Ecclesiae designata; non ita Ecclesia in rigore sumpta est, vt ad fabricam Cathedralis, aut ad alia eidem congrua, fuerit arctata designatio; vnde in vsus pios plerumque cedit, pro quibus rationes solent vrgentes occurrere, quam pro Cathedralium statum promouendo. Pro quibus videri potest Dom. Solorzanus supra, num. 53. & seqq. Qui in specie positionis nostrae, num. 82. arbitrium Regium praedictum iustius futurum asserit cum ea moderatione, vt primo loco necessitatibus Indorum & Indiarum subueniatur, ex quorum Prouincijs pecunia ista redditus procedunt, argumento L. Praesentis, C. de seruit, & aqua. Indis ergo & Indijs ex decimis subuenire, iuxta dispositionem Iuris Canonici est; iuxta quod debent in Ecclesia utilitatem expendi. Et ita id est etiam generaliter asserendum. Si qui autem Textus sunt, videndi apud Dom. Solorzanus Lib. 3. cap. 11. num. 5. & cap. 12. num. 19. iuxta quos ad successores videntur redditus isti spectare, exponendi sunt ita vt non aduertentur adductis, sed iuxta datam explicationem: quod scilicet reseruentur in Ecclesiae utilitatem expendendi sub praedicta diuisione. Nam Textus tales aut priores sunt adductis ex Sexto, & ita per istos exponendi, quibus vt posterioribus potius standum. L. Non est nouum 26. cum sequenti. D. de legibus. Vbi scribentes, aut posteriores: & similiter intelligendi iuxta illos, ne legum correctio, quae odiosa esse solet, admittatur. Vt est receptissima doctrina iuxta L. Praecipimus, C. de appellatione. Pro qua, sicut & pro priori, Auctores, praesentis Societatis, agentes de Legibus, & Pater Sancius Lib. 2. de Matrimonio Disp. 24. n. 6.

112 Quidquid autem de hoc sit, in Hispania aliter se res habet, in qua Pontifex redditus dictos, sicut & spolia alia, suae Camerae applicatos per Collectores colligit; idque iure suo, quia illorum est dominus. In Indijs autem ad Regem spectant quantum ad eorum administrationem; qui ex illis tres partes conficiens, vnam successoribus tribuit pro sumptibus in expeditione Bullarum, Pontificis ornamentis, & itinere faciendis; aliam Ecclesijs pro necessarijs ad diuinum cultum; tertiam in opera pia sibi reseruat. Vbi non pauci nec indocti contendunt redditus dictos, cum decimales sint, ad Regem pertinere: licet enim decimas sibi ab Apostolica Sede concessas, in Ecclesijs retulerit; non videtur tamen ratio ista ad vacantium redditus iuxta eorum intentionem extendi; quia vt extendi intelligamus nullum est vrgens fundamentum; vt allegationes continent, quas adducit Dom. Solorzanus Cap. 12. citato, num. 36. & seqq. Quibus tamen non obstantibus Rex noster contrariam est, vt diximus, sententiam amplexus, & distributio dicta per tertias partes obseruanda vltimus est, iuxta primum eius & religiosum imperium.

113 Sed non videtur in tali dispositione Iuris Canonici dispositionibus plenè stari, iuxta quod distributio dicta nullo modo ad laicos Principes spectat, sed ad Ecclesiam Praelatos. Pro quo specialiter est Cap. Relatum 2. de Testamentis, & ex generali exemptione constat, iuxta quam Ecclesiastica bona, sicut & personae, Ecclesiastici fori sunt, & ita in eorum administratione nequit se laica potestas immiscere. Pro quo praesertim est celebre. Cap. Ecclesiae sanctae MARIE, de Con-

Indis prius subueniendum & Indijs.

Specialis in Hispania & Indijs dispositio, Regis auctoritate.

Vnde iustificari possit, cum ad Ecclesiasticos tantum videtur deatur Praelatos pertinere.